



P R Æ F A T I O.



SCIENTIA Medicæ est Res maximi momenti, tam Medicis, quam Pharmacopœis & Chirurgis, sine quâ quanti errores, quantæ strages! Quis enim medicamenta ægrotantibus præscribere, propinare, & administrare valet, spe obtinendi beneficia iis adscripta ab Antiquis, si penitus rudis, & ignarus sit, vel in dubio hæreat, an sint ipsa, quæ nobis tradita sunt? *Non fingendum, aut excogitandum, sed inveniendum quid Natura faciat, aut ferat, monente Oraculo illo Verulamio nostro.* Quod si à seculis Hippocratis, Theophrasti, Dioscoridis, Galeni, aliorumque Artis Medicæ Principum, per cuncta ad hæc nostra hoc observatum fuisset, Materia Medica nobis incorrupta & perspicua mansisset, omni Mercatorum fraude, & Negotiatorum officiis purgata, & sine controversia facilis & luculenta: Sed, proh dolor! tantus stupor & ignavia Rempublicam Medicam hodie opprimit, ut quamplurimi mallent otiosè errare, & eruditè necare (periculosos imposturis avidorum Mercatorum, Pharmacopolarum sive Seplasiariorum, Anicularum, aliorumque ejusdem farinae veneficorum, nimis fidendo, & indulgendo) quam elaborare, examinare, & distinctè addiscere ipsa simplicia Medicamenta quotidiani Usus. Disertè scribit Galenus, Lib. 1. de Antidoto, cap. 15. *Medicus omnium (inquit) stirpium, Fossilium, & Animalium peritiam habeat, consulo; sin minus, plurimorum saltem, quibus frequenter utimur.* Huic quoque his verbis suffragatur Oribasius, *Simplicium medicamentorum, & facultatum quæ in eis insunt, cognitio ita necessaria est, ut sine ea nemo rite medicare queat.* Huc quoque spectat Ætii sententia, *Omnium simplicium Pharmacorum vires nosse oportet eum, qui aliquot compositum est facturus.* Et Aristoteles haud ineleganter, *Prima laus est humanæ sapientiæ, valde similia posse distinguere.* Magnus ille Medicinæ parens sapientissimus Hippocrates
 ubique

ubique ferè inculcat, Medicum Rerum Naturalium peritum esse debere. Aspera sane censura quamplurimorum apud nos hodiè medicantium.

Hæc mihi stimulum & ansam dederunt investigandi, inspiciendi, & cognoscendi Simplicia Medicamenta, Libros Botánicos, & Scriptores Naturales pervolvendo, Res ipsas colligendo, summâque, quâ potui, diligentia examinando.

Postquàm Typis mandaveram priorem meum Tractatum Anno 1693. animadverti plurimas res medicas, quæ jam tum cœperunt obtinere in usu medicinali à me omittas fuisse, plurimi quoque Libri eò spectantes tum temporis in manus inciderint, qui antea haud impressi fuerint, vel quorum saltem notitiam nondum habuerim. Verùm cum mihi innotuit ab aliquammultis etiam ingeniosis Librum meum æqui bonique acceptum fuisse in Regionibus exteris, quin & plurimos peregrinantes se illum non tantum in *Gallia & Hollandia*, verum etiam in *Italia* & in ulterioribus *Germaniæ* oris, vidisse; subiit considerare *Supplementum* ferè necessarium, quo majori esset usui aliis regionibus; & cum Iter jam fecisset usque ad viciniam *Græciæ*, antiqui istius Scientiarum fontis, quod non è re foret adjicere ex *Dioscoride* exterisque Pharmacopœis quodcunque non adhuc impressum penes me fuit, & non expectandum usque dum Liber aliam requireret impressionem, sed seorsim continuo edendum.

Postquàm non contemnendum jam progressum in constituto subjecto fecerim, certior sum factus *Gallorum* Regem mandasse ingeniosum Botanicum Tournefortium in *Græciam* Insulasque adjacentes, ad investigandas *Dioscoridis* Plantas, id quod effecit; qua de causa ad tempus ab opere destiti, sperabam enim fore, quod cum insignis iste Vir redux fuerit, aliquid saltem in lucem ederetur ad dirimendam vexatissimam istam inter Botánicos quæstionem de veris antiquorum Græcorum plantis. Verùm enimverò cur visum fuit præstantissimo Botanicae invadere orbi literario alium laborum suorum Orientalium fructum præter Corollarium, pauculasque Observationes de Fossilibus quibusdam Plantisque Medicinalibus in Itinerario suo sparsim occurrentes, me sanè fugit: Si quid ulterius observaverit, nondum patet.

Operam dedi, ut ubique de Materia Medica *Dioscoridis* liquido constaret, atque adeò consului præcipuos Auctores, qui hoc argumentum tractarunt, & quam præse potui textui adhæsi; ad suppetias etiam meas adhibere lubuit Matthioli Translationum, ut & Commentarium: In his libris concinnandis iniviam à nemine tritam; qualis nulla (quod sciam) sit mentio in aliqua Lingua, ideoque tam vivos quàm mortuos consului, plurimos scilicet doctos, eosque ingeniosos Viros, ut etiam Libros; quoniam verò necesse omnino fuit unicuique rei medicæ adjicere virtutes, cum tamen libri institutum brevitatem exigat, atque adeò ut in Epitomen redigeretur, hoc in causâ fuit, quod eosdem excerpti ex Auctoribus, qui id mihi effectum dederunt. Verum ne Jovis Corvi instar furtivis me efferrem plumis, mihi plus tribuerem quàm par est, aut meritis sum, ad calcem uniuscujusque transcriptionis imposui Auctoris nomen, unde
mutuò

PRÆFATIO.

iii

mutuò accepi, notas scilicet características, easque præsertim ex operibus nuperi mei vicini, & amici longè colendissimi, dignissimi, & solertissimi D. *Joannis Raii* A. M. τὸ μακρότερον, necnon à Pharmacopœia *Schroderi*; unde accidit, ut nonnulli perperam existimarent primum volumen nihil aliud esse quam transcriptum ex istiusmodi Auctoris; & non opus, ut reverà est, prorsus novum.

De divisione & methodo hujus Libelli alibi disserui. Quoad finem, hoc mihi negotii credidi solum dari, Populo ut inservirent, quas fecissem Tabulas; nam proh Deum atque Hominum fidem! Quanti Lusus de Corio Humano! Quanti lethales Ictus ab imperitis Blateronibus, & Vafis circulatoribus, qui nugis & strophis suum captant quæstum, Materiam Medicam nunquam prælibantes! Ignavum & sordidum Pecus!

Quadraginta-quatuor circiter abhinc annis hanc nostram *Pharmacologiam* primum edidi; quantum verò eruditis placuerit, variæ editiones domi forisque abundè testantur. Nunc demum frequenti amicorum doctorum sollicitatione adductus, cæteris dudum divenditis, & hanc postremam multò auctiorem & emendatiorem publici juris facio. Erat hujus operis propositum, Medicinæ Studiosis vera simplicia indicare, quibus in medicamentis conficiendis uti deberent, ne à frudentis mercatoribus delusi, venenum potius, quam Pharmacum salutare ægrotantibus propinarent: quod ut ægro calamitosum, ita Medico ignominiosum foret. Hunc autem Laboris mei fructum reportavi, quod & Tyronibus Materiam Medicam investigandi majorem alacritatem studiumque injecerim, & provectioribus in hac scientia magistris ad aliquid, quod aliis adjumento foret, in lucem edendum auctor fuerim & adjutor. Hujusmodi Scriptorum tria tantum ad manus pervenerunt, *Catalogi* nempe *Plantarum Usualium*, quæ in *Hortis Amstelædamensi, Haerlamensi, & Chelsiano* enutriuntur. Horum primus à viro clarissimo *C. Commelino*, alter ab erudito *Ægidio de Koker*, postremus autem à diligentissimo Herbarum cultore *Isaaco Rand*, ejusdem Horti Præfecto, fuit conscriptus. Hisce adminiculis freti genuina simplicia rite dignoscant *Pharmacopœi Juniores*, neque nimis credulitati se dedant, uti *Pharmacopœi Viennenses*, qui, teste *Clusio*, *Bupthalmi* radices loco *Ellebori nigri* emebant; nec iis similes, quibus, uti narrat *Johnsonus*, *Oenanthes* venenosæ radices pro *Pæonia* perfidi venditabant *Rhizotomi*. Quod ad methodum horum Librorum attinet; primus miscellus est, neque alphabeti ordinem, neque methodum quamcunque institutam sequitur; numeri singulis plantis præfixi, locum cujuscunque Herbarum in Horto (ut suspicor) notant; aliis verò, quoniam nullus accommodatur Index, quamlibet invenire plantam difficile erit & molestum. Alteri duo literarum ordine dispositi sunt; numeri autem annexi areolas, in quibus quæque nascuntur plantæ, indicant. His addi potest *Index Plantarum, quæ in medicum usum recipi solent*, à *Josepho Monti, Botan. Profess. & Horti qui est Bononiæ Præfecto*, Anno 1724 editus. In duas disperitur partes; prior *Indicem* Plantarum medicinalium alphabeticum complectitur, quarum singulis adscribitur numerus Classis Physicæ, in qua illæ reponi debent: altera pars *Ele-*
chus

chus est, quo in varias suas *Classes* dividuntur *Plantarum Vires*. Hisce adjungitur *Exoticorum Simplicium Medicamentorum Distributio*; hæc in tres dividitur partes, *Animalia* nempe, *Vegetabilia*, ac *Mineralia*; quorum singulis *Classis* numerus præfigitur. Sequitur *Index Alphabeticus*, una cum *Elencho virium*, quibus singula pollent, in triginta sex *Classes* distributo. Huic præmittitur opus magis universale, quod inscribitur, *Plantarum genera* à Botanicis instituta, juxta *Tournefortii methodum* ad proprias *Classes* relata, una cum *Indice Generum Alphabetico*. Totum opus in re Medica, & Herbaria magistris potius quam Tyronibus accommodari videtur; hisce etenim impedimento magis quam auxilio foret, nisi quibus hortos invisendi plena indulgeatur facultas, vel Librorum Botanicorum satis ampla suppeditetur copia.

Præter illos jam memoratos, varii intra paucos annos fuerunt editi de *Materia Medica* Libri, quorum quidam Lingua vernacula sunt conscripti. Horum primus *Interpretatio Materiæ Medicæ* à *Tournefortio* scriptæ dici solet; an vero Idiomate seu *Gallico*, seu *Latino*, unquam fuerit editum hocce opus, an sit tantum notulæ quædam ex Professoris ore inter legendum ab alumno quodam Chartis mandatæ, nondum liquet. In duo capita generalia, *evacuantia* nempe, & *alterantia*, id partitur; hæc autem in alia iterum pro singulorum viribus dividuntur, & in singulis divisionibus continentur *Herbæ*, *Animalia*, & *Fossilia*; horum multis usus, principia Chemica, ut & descriptiunculæ annectuntur. Præsum subiiit hic Liber Anno 1708. Post quatuordecim annos sc. Anno 1722. *Josephus Miller*, Pharmacopœus & Botanicus Londinensis apprimè gnarus, patrio sermone edidit *Botanicum Officinale* ordine Alphabetico secundum nomen Officinale Latinum, in quo distribuuntur plantæ vel earum partes, quæ apud Anglos in usum veniunt; accedit quoque virium Epitome. Alterum *Materiæ Medicæ Indicem* Anno 1724. edidit *Jacobus Douglas*, M.D. Opus est Miscellum è Mineralibus, Animalibus, & Vegetabilibus, ordine literarum, secundum Latinum nomen dispositum, cui annectuntur variis in columnis nomina Græca & Anglica, &c. sub finem duæ adduntur Tabulæ, in priori simplicia in Mineralogiam, Zoologiam, & Phytologiam reducuntur, quarum quæque in varias iterum *Classes* dividitur. In altera autem Tabula, secundum facultates quibus pollent, disperuntur simplicia; hæc autem secundum partes, quæ in usum recipi solent, iterum distribuuntur. Auctorum nomina, qui singulas res tractarunt, omittuntur; quæ de re *Peritis* in arte potius quàm *Tyronibus* adaptari videtur opus. Anno 1727. *Anglicè* edidit *Edwardus Strother*, M.D. *Materiam Medicam Pauli Hermanni*, Botanices apud *Leydenses* quondam *Professoris*. In hoc Libro continentur *Hermanni* super *Materia Medica* Officinarum *Prælectiones*; & quum res ipsas, ut Discipulos melius institueret, præ manibus habuerat Professor, eas describere supervacaneum ducere potuit; quales autem in hoc opere sustinuit Editor partes, ipse in *Præloquio* narrat; quod vero argumentum *Interpres anonymus* parum satis intellexerit, haud est dubitandi locus. Quod ad methodum

PRÆFATIO.

V

dum attinet, in Radices, Cortices, Herbas, Semina, &c. dividitur; prout res ipsæ in *Professoris capsis* erant reconditæ; unde idem nomen sæpius iteratur. Eodem Anno prodire *Boerhaavii* celeberrimi *Prælectiones* in horto *Leydenfi* quotannis habitæ, opus, uti ex allucinationibus multis patet, planè surreptitium, tametsi *Editor anonymus* in Præfatione affirmat, *Incredibile est, quanto cum fervore ejus dogmata à discipulis sunt excepta, quæ scribendo collecta, inter se collocata, & in unam molem redacta sunt, unde natum est manuscriptum nostrum, cujus tanta apud Leidenses studiosos exstitit fama, ut variis originem dederit manuscriptis.* Complectitur notas characteristicas & derivationes nominum cujusque plantarum Classis in illo horto nascentium, secundum methodum à doctissimo Professore in *Indice suo altero* institutam; accedunt *Vires & Usus* Plantarum Medicinalium, item quænam plantæ aliarum loco substitui possunt. Prodiit Anno 1730. Anglico sermone Liber inscriptus, *Cursus Prælectionum de Materia Medica antiqua & moderna, in Schola Medica* (verius in Diversorio seu Taberna sub Tauri caput, i. e. *The Bull-head Inn, or Tabern*) apud *Cantabrigienses* habitus, super *Cimeliis Attenbrokii & Vigani, in Aula Catharina & Collegio Reginali depositis à R. Bradly S. R. S. & Botanices* (uti se venditat) in eadem *Academia Professore.* Cimelium antea, quantum conjectare liceat, nunquam vidit. Opusculum trifarium, in Mineralia nempe, Vegetabilia, & Animalia, dividitur; Mineralibus Medicamenta composita, Chemicæ præparationes, Gummi aliaque immiscentur corpora; Vegetabilia veterum Radicum, Corticum, Lignorum, &c. sequuntur methodum; tertia pars Insecta, Pisces, Aves, quadrupedesque complectitur. Futile prorsus & ineptum opus, erroribusque scatens foedissimis.

His tantummodo insuper adjiciam *Historiam Plantarum usualium compendiarum* à Chomelio *Gallice* conscriptam. *Methodum* in Materia Medica à *Tournefortio* institutam præcipuè sequitur Auctor, nisi quod Vegetabilia, quæ secundum vires disposuit, tantum tractaverit, ubi post nomen cujusque plantæ Gallicum & illa *J. B. C. B.* aliorumque, ut & *Officinarum*, quandoque adjiciuntur; hæc excipit partium, quæ in usum venire solent, compositorum quæ ingrediantur, ut & virium narratio. Utrum *Tournefortii* Liber huic præcesserit, an hic ex illo ortum duxerit, nescio; quater autem sub prælo sudavit opus.

Præter jam dicta adminicula, restat unum à *Pharmacopœis Societatis Londinensibus* institutum, memoratu apprime dignum; hi enim, ut Tyrones scientia stirpium *Officinalium* aptius imbuantur, certas arcas in horto suo Botanico iis colendis assignarunt, in quibus singulæ secundum Indicem supra laudatum disponuntur herbæ, super quibus quidem prælectionem quolibet ab *Aprili* per æstatem mense habet Præfectus eruditus. Præterea, ut stirpes in agris nascentes melius ediscant *Pharmacopœi Juniores*, sex per æstatem Plantas investigandi gratia instituit eadem Societas itinera (mense *Julii* excepta) quibus confectis, herbarum nomina inter Tyrones quisque indicat; & qui per æstivum tempus maxime om-

nium profecerit (Judicio *Præfecti*, &c.) *Raii Synopsis stirpium Britannicarum* Pergamena viridi compactam, Laborum accipit mercedem. At Grande Iter eadem causa Mense *Julii* susceptum, nequaquam est silendum; quod quidem institutum centum abhinc annos invaluisse videtur. Clarissimus enim *Thomas Johnsonus* in *Itinere plantarum suo investigationis ergo suscepti à decem sociis in agrum Cantianum*, Anno Domini 1629. hæc habet: *Paucis abhinc elapsis annis, consuetudo vere laudabilis inter rei herbariæ studiosos crevit, bis aut sæpius quotannis triduum aut quatrimum iter Plantarum investigationis ergo suscipere.* Quorum quatuor Itinera Annis 1629, 1632, 1634, & 1641. ipse edidit. Vetus hic Mos jam desiit observari in modum supra dictum; sed nunc horti *Præfectus* mense *Julii*, cum quinque vel sex sociis rei Botanici peritis, in *Cantium* aut alium quemlibet locum per dies duos vel tres iter faciunt; & quas collegerint Plantas ad *Congressum* generalem Societatis supra dictum afferunt, ubi *Præfectus* in præsentia *Magistri, Gardianorum*, &c. eas demonstrat, ad cujus Prælectionem cuilibet curioso datur Accessus. Neque hæc solum fecit Societas ad promovendam Rei herbariæ scientiam, sed & *Hybernaculum magnificum*, itemque varia *Hypocausta*, in quibus ali possunt stirpes per Hyemem frigoris impatientes, extrui curavit; quorum priori conclave satis amplum, *Bibliotheca Botanica* instruendæ destinatum superstruitur.

Jam vero tempus est, ut ad nostrum revertamur opus, & Lectori, quid in hac Editione præstitutum sit, indicemus. Quicquid antea sub Supplementi forma prodiit, nunc suo loco aptius restituitur; & id, quod in partes duas dividebatur, opus, integrum magis & concinnum evadit, adeo ut Lectori totam simplicium singulorum Historiam uno intuitu contemplari posthac licuerit. Quicquid in *Materia Medica* novi, vel ab Amicis communicatum habuerim, vel inter legendum Auctores recentius editos invenerim, inserui, atque nihil, quod ad rem nostram fecit, omisi. Quandoquidem autem *Materiam Medicam* unius loci aut civitatis ab alterius multum discrepare observaverim, totum in hoc opere complecti sum conatus, neque simplex quoddam ab aliis, exteris licet, usurpatum, prætermisi; adeo ut nunc multò latius pateat, quam prius nostrum tulerat institutum. Synonymis Auctorum paginam ubique attexui, ut Lector solers, quid de re qualibet fusius disputatum est, nullo negotio invenire possit. Auctorum *Casp. Bauhini* Pinace editorum, nostratium præcipuè, Synonyma itidem inserui, ut ad Herbarum studium eos magis alliciam, qui ad Medicinam faciendam quoquo modo animum appellant. Omisi quidem *Catalogum Cantabrigiensem*, ut & *Catalogum Plantarum Angliæ*, à doctissimo celeberrimoque *Raio* conscriptos, quoniam in *Synopsi* illius *Stirpium Britannicarum*, quam ubique laudavi, uterque comprehendatur. *Threlkeldii Synopsis stirpium Hybernicarum* raro citavi; quoniam vero in isto Libro non numerantur paginae, plurimum tædii affert Lectori; sin autem vir quidam Reverendus in ista gente diutius commoratus esset, accuratius multò & emaculatus prodiisset istud opusculum.

Præter

PRÆFATIO.

vii

Præter Objectiones contra hunc nostrum Laborem, quæ supra in hac Præfatione refelluntur, restant & aliæ quædam, quibus obviam ire hoc in loco necesse duxi. Objicitur primo, quod descriptiones nostræ nimium breves sint, ideoque minus usui accommodatæ. At nostri non erat instituti *Historiam Plantarum Officinalium* generalem scribere (huic enim majus destinaveram opus, cujus in Præfatione prioris editionis mentionem feci, cujusque pars major jam pridem est confecta, reliquam tamen prorsus absolvendi spem refecat ætas ingravescens) tantummodò autem viâ compendiariâ illas Plantarum partes, quæ in Officinis quotidiano teruntur usu, ut omnis fraudi & errori præripiatur ansa, depingere. Deindè, me stirpes ad *Raianam Methodum*, quæ à paucis intelligitur, disposuisse dicunt. Cum verò brevitati semper consului, satius duxi methodum talem instituere, qua singulas ejusdem herbæ partes simul tractare possem, neque eadem sæpius repeterem, ut necesse esset, si veterem Radicum, Corticum, Herbarum, Seminum, &c. methodum, vel vires medicas secutus essem, uti ab aliis factum est. Hoc quidem caveri potuisset, si ordine Elementari omnia distribuisssem; tunc verò Vegetabilia, aliaque congenera separata fuissent, quæ legibus Physicis uniuntur; & Lectori Philosophico, tanquam memoriæ ancilla, aptius hæ accommodantur leges: Et ut verum fatear, inter varias recentes Plantarum methodos intra paucos annos editas, *Raianam*, ut naturæ magis consentaneam, cæteris semper anteposui.

De *Ortu*, & Progressu simplicium Medicamentorum scribere, majoris molis est, quam Romanam condere gentem. Quædam Casu, quædam Instinctu, aliæ ab Experientia effluerunt: Multa ab Indis, multa à Brutis derivamus; Barbari enim, & Færæ commodissimas Res invenerunt, quæ gentes sapientissimas latuerunt.

Restat solum, ut grates persolvam debitas amicis nostris, quorum opera & consiliis usi fuimus in concinnandâ hâc *Materiæ Medicæ historiola*. Hi fuere viri clarissimi, meum supereminentes Præconium, exquisita Rei Naturalis notitia, D. *Hansius Sloane*, Bar. *Tancredus Robinson*, M. D. *Joannes Raius*, A. M. *Leonardus Plukenet*, M. D. *Martinus Lister*, M. D. *Gulielmus Sherard*, L. L. D. *David Krieg*, M. D. *Samuel Doody*, *Jacobus Petiver*, & *D. Finch*, Pharmacopœi Londinenses, & *Jacobus Newton*. Horum priores duo adhuc sunt superstites, cæteri sunt emortui. Sic orta est fabrica nostra rudis indigestaque moles; sublimioribus Ingeniis incudenda, formanda, polienda, & perficienda. Tentamini & cœptis asperate, Lectores Benevoli.

Nominum

